



Martinus natus est Selestadij celebri oppido Alsatia, anno 1491. Ibi cum artium & linguarum fundamenta foeliciter iecisset, ut commodius pietati et studijs uacare posset, amicorum consilio Dominicanorum monasterium ingressus est, anno 1506. In eo loco diligenter libris incubuit, atque futurae indolis prudentioribus monachis sp̄e prebuit. Itaque factum ut Prioris uoluntate ad Academiam Heydelbergensem peruenerit. Cum ibi esset, primo artes dicendi atque philosophiae praecipua didicit, & deinde animum ad Theologiae studium conuertit. Ut autem id commodius efficeret, Hebraeae & Graecae linguae diligentem operam praestitit. Hoc modo paulatim uariam eruditionem sibi comparauit. Eo tempore Erasmi scripta passim publicata. ijs Bucerus magna delectatione usus fuit, atque Euangelicae doctrinae fundamenta iecit. Mox etiam Lutheri doctrina multis libellis editis proposita. eam Bucerus diligenter cum sacris literis contulit, & quaedam in doctrina pontificia suspecta habuit. Erat autem Bucerus magna facundia & humanitate praeditus, ideoque ad docendum aptissimus. huc accedebat uox grandis & sonora, quae plane cum forma orationis congruebat, adeoque libertas rara in hominum uitae corrigendis. Id cum Fridericus Palatinus intellexisset, eum ad se recepit, atque ut suos uerbo Dei instrueret, secum in Belgiam abduxit. in ijs locis cum superstitiones liberius taxaret, atque ordini renunciare statuisset, monachi ei insidiati sunt, atque e medio tollere statuerunt. Verum Bucerus fuga elapsus per Rhenum ascendit, atque ad insignem Heroam Franciscum Sickingensem peruenerit, qui eum ad se in arcem recepit, atque patrocinium est pollicitus, donec tota religionis causa cognosceretur. In ea arce denuo sacris literis incubuit, atque eas admodum sibi familiares reddidit. Paulo post 1521 Vuormatiae comitia celebrata, ad quae Lutherus uocatus, ut rationem fidei redderet. Ibi & Bucerus comparuit, Lutherum differentem audiuit, & per aliquot dies cum eo familiariter uixit, ita ut eius tum notitiam sibi acquisierit. Ab eo tempore suam sententiam aperte declarauit, atque etiam quiduis ferre, quam Euangelij causam relinquere, statuit. Cum autem Franciscus infelici casu occubuisset, Bucerus aliquandiu in summis periculis fuit. Id cum Argentinenfes cognouissent, eum ad se in urbem uocarunt, atque concionibus praesse iusserunt. In eo loco Bucerus magno zelo cum Mathia Zellio & Calparo Hedione aliquandiu Christum praedicarunt, & tandem rem eò deduxerunt, ut religionis ibidem fieret reformatio anno 1528.